

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johannes Vorst Christian Vorst

## **De Quatuor Monarchiis Dissertatio**

Rostochi[i]: Richelius, 1653

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740003755>

Druck Freier  Zugang



R u. Theol. 1653

Vorstius, Joachim / c  
Vest.: Vorstius, Christian



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn740003755/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740003755/phys_0002)

**DFG**

62

ΣΥΝ ΘΕΩ.  
DE  
**QVATUOR**  
**MONARCHIIS**  
**DISSERTATIO.**

*Quæ*  
*IN ILL. ACADEMIA ROSTOCHIENSI*  
*PLACIDÆ VENTILATIONI SUB-*  
*JICIÉTUR,*

A  
PRÆSIDE  
**M. JOH. VORSTIO,**

ET  
RESPONDENTE  
**CHRISTIANO VORSTIO,**  
**HEMMENSI DITHMARSO.**

DIE V. FEBRUARIL.



ROSTOCHI  
*Typis Johannis Richelii, Senat. Typographi.*  
ANNO M. D G. LIII.

SYN EED  
D  
QAVATUOR  
MONARCHIES  
DISSESSATI.

PRAESE

## ОТСЯЧНОМ





Solemus vulgò qvatuor numerare Monarchias. Et juxta has  
qvoqe libellos suos Chronographicos ac historicos nonnulli  
concinnant. Advertendum igitur, qid istis verbis velimus  
nobis, qvæq; ejus p̄yōewç sit origo. Alias cum veteribus Græ-  
cis Monarchiam dicere solemus qvodvis unius cujusdam hominis in  
aliquam gentem imperium summum. Sic verò intellecto vocabu-  
lo, non qvatuor mōdō, sed multò plures numerandæ fuerint Monar-  
chiae. Non enim veteri tantū ævo multò plures extiterunt, sed  
& nostrâ adhuc ætate multò plures existunt. Qvamobrem nec à  
nobis qvi qvatuor vulgò Monarchias numeramus, res sic intelligi po-  
terit, non nisi qvatuor Monarchias usq; ad nostra tempora in mundo ex-  
stirisse. Sciendum, cum vulgò de qvatuor Monarchiis loquimur,  
vocis Monarchia notionem paulò stricciorem fieri: ut nim. intelliga-  
mus qvatuor Monarchias in sacris literis, & qvidem in libro S. Danielis,  
designatas. Qvòd Christiani qvatuor vulgò Monarchias nu-  
meramus, ejus rei occasio per sacras literas nobis est data.  
Svidas, & ipse Christianus, ex sacris literas doctus fuerat, cum in Le-  
xico scripsit, Παραγίων δέκα τὸ Λευκόπολις καὶ τὸ Περσῶν, καὶ Μακεδό-  
νων, τὸ πεντηκόντα επτάκαιρων. Scriptores òi εξω autem ad qvater-  
narium istum Monarchiarum sive regnorum numerum non attende-  
runt. Sed inter ipsos Christianos non satis convenit de eo, qvæ-  
nam istarum Monarchiarum, qvas ex veterum monumentis cognitas  
habemus, sint illæ, qvæ qvaternario isto numero in sacris literis sunt  
comprehensæ. Neq; enim verba sacri scriptoris eodem modo o-  
mnes intelligunt. Et controversia qvidem agitata est de istorum  
regnorum qvæ S. Daniel designavit, tertio & quarto. Post alios ve-  
rò & nobis consilium est de qvatuor istorum regnorum, qvæ à S. Da-  
nielis designata sunt, initii ac duratione qvædam commentari. Ubi  
tum vel præcipue considerandum quoq; illud erit, an istius Danielis

A

vatici-

vaticinio ad ea qvoq; qvæ nos nunc degimus tempora respectum fit,  
& ex qvibus eâ de re certò judicari queat'.

II. Non uno modo, unisvè symbolis in S. Danielis libro quatuor regna designata sunt, sed omnino pluribus. Primò qvidem designata sunt per quatuor diversas partes unius statutæ, qvæ Nabuchodonosoro apparuit. Et id qvidem factum est in cap. II. Danielis. Deinde eadē quatuor regna designata sunt per quatuor *animalia* sive *bestias*: idq; in cap. VII. Deniq; bina istorum regnorum, secundum & tertium scilicet, seorsim designata sunt in cap. VIII. per duo alia *animantia*. Qvomodo autem singulorum regnorum duratio ac finis rectissimè animadverti ac intelligi debeat, id paucis verbis exponam, anteqvam ad uberiorem de singulis dissertationem progrederi. Id enim animadvertismus vulgo non satis clare solere exponi. Ut verò idem illud hic præmittatur, ejus non leve momentum videatur esse ad attentionem Lectoris excitandam. Tam diu igitur unum qvodq; istorum regnorum putandum est durasse, qvoad usq; per vim non devolutum illud fuit ad alterius gentis Regem. Et qvod idem est, tum demum finis fuit alicuius istorum regnorum, cum Rex alterius gentis illud per vim occupavit sibi, retinuit. Ut igitur unum regnum desisse & aliud exortum esse ex ipsius S. Danielis mente intelligamus, observandum est, quo tempore aliquod istorum regnorum acceperit alterius gentis Rex: & qvidem per vim. Duo, inqvam, sunt, qvæ fecerant, ut unum istorum quatuor regnorum desisse, & alterum exortum esse dicendum sit. Qvorum primum est, si talis homo, qui jam ante imperium habuerit in aliam gentem, sive qui jam ante Rex fuerit, qvoddam istorum quatuor occuparet: alterum, si per vim id fecerit; non bona gratia ejus qui antea imperium habuerat. Atq; hæc duo ita observanda esse, ut ipsa quatuor imperia à S. Daniele designata rectè discernantur, ex ipsis S. Scriptoris verbis liquido intelligetur.

III. Illud qvoq; intelligere in procli est, variis istis signis sive symbolis de qvibus paulò ante diximus, non designatos esse homines singulos qui Reges fuerint, sed designata esse ipsa regna, sive imperia in aliquam gentem. S. Daniel qvidem, ubi Nabuchodonosoro explicavit, qvid imago ista qvæ ipsi Nabuchodonosoro per quietem apparuerat, sibi veller, his verbis usus est: *Tu es caput aureum*. Hæc tamem non sic intelligenda esse, quasi unus Nabuchodonosorus per caput attreum

reum designatus sit, sed verò per idem caput aureum designatum esse regnum istud, quod tum Nabuchodonosorus, tum quoq; alii quidam habuerunt, id satis clarè intelligi potest ex eo, quod mox deinde non de singulis Regibus loquitur, sed de regnis, sive imperiis, quæ à pluribus ordine succendentibus tractata fuerunt. In cap. II. Dan. v. 39. verba amplius sic habent: Post te exorietur מלך אחריו regnum aliud, inferius tuo. Et regnum tertium &c. Et regnum quartum, &c. Sic & in cap. VII. v. 17: Quatuor magna animalia sunt quatuor regna.

IV. Primum igitur regnum sive imperium illud fuit, quod Nabuchodonosorus ejusq; successores habuerunt. Qvod ipsum an & ante Nabuchodonorum fuerit, de eo ex superiori nostro pronunciato facile judicari potest. Sed nos de ipsis Nabuchodonori ejusque successorum temporibus priùs videamus. Palmarium enim est per prædicta signa denotari res futuras. De primo igitur isto regno, qvòd illud à Nabuchodonosoro tractatum fuerit, satis constare potest ex eo, qvòd S. Daniel apud Regem istum his verbis differuit: Tu es caput aureum. Qyorum verborum hic intellectus est: *Istud regnum sive imperium quod tu Nabuchodonosore in praesentiā tractas, est quatuor istorum quæ per quatuor diversas statuē partes designata sunt, ordinne primum.* Post Nabuchodonosorum verò idem illud, non aliud atq; diversum regnum, tenuerunt Evilmerodachus, Neriglissares, Laborosarchodus & Nabonnedus: aut tenuerunt tres modò, Evilmerodachus, Laborosarchodus & Nabonnedus. Sed horum duo postremi in sacris literis aliis nominibus appellantur, Belsazar scilicet & Darius Medus, ut ex collatione sacræ ac profanæ historiae intelligi potest, & ab Ill. Scaligero satis clarè expositum est. Belsazaris autem sive Laborosarchodi temporibus, & ejus anno primo qvidem, ipsi Danieli obtigit visio qvædam. Vedit nim. per quietem quatuor animalia, per quæ totidem regna sunt designata. Et horum primum quidem, quod & Nabuchodonosori ætate jam fuerat, temporibus Belsazaris sive Laborosarchodi, cum ipsi Danieli visio obtingeret, adhuc extitit. In priori visione, quæ Nabuchodonosoro obtigerat, designatum fuit regnum istud per *caput aureum statuē*. In posteriore verò, quæ ipsi Danieli obtigit, designatum fuit per *leonem*. Qibus symbolis utiq; amplitudo & excellentia istius regni significata fuit:

ut & ex ipsius Danielis *διηγήσει* satis intelligi potest. Sed nos de amplitudine istà pauca qvædam libemus ex profanâ historiâ. Sacra enim historia satis est nota.

V. De Nabopolassari Babyloniarum Regis & Nabuchodonosori patris expeditione, itemque de ipsius Nabuchodonosori potentia præclarum fragmentum nobis servatum est in Fl. Josephi scriptis, ex tribus libris *Χαλδαιῶν*, quos considerat antiquissimus, ipsique Alexandro coævus, & quod caput est, Babylonius scriptor Berofus. Id ipsum igitur huc quoq; referri haud sanè præter rem fuerit. Legitur illud in Josephi lib. I. contra Apionem, & in decimo *Αρχαιολ.* cap. XI. atq; in Latinam Ling. versum ita habet: *Ipsius autem (Nabuchodonosori) pater, Nabopolassarus (sic legendum esse nomen istud, docuit Jos. Scaliger ex Eusebio) audito, quod Satrapa, quem Aegypto, cava Syrie Phœnicieq; præfecerat, defecisset, cumq; ipse non amplius labores militie ferre posset, commisit Nabuchodonosoro (filio suo) jam adulto quasdam copiarum suarum partes, eumq; contra Satrapam istum misit. Nabuchodonosorus autem collatis signis cum defectore congressus, ipsum vicit, & provincias in suam ditionem rursus rededit.* Inter ea factum est, ut pater Nabopolassarus decumberet, vitag; excederet cum annos XXIX. regnasset. Nabuchodonosorus autem non multò post, patris morte cognitâ, & constitutis Aegypti ceterarumq; provinciarum negotiis demandataq; amicis curâ captivorum Iudeorum, Phœnicum, Syrorum & Aegyptiorum una cum exercitu & impedimentis in Babyloniam traducendorum, ipse cum paucis per desertum Babylonem properavit. Et cum regni administrationem suscepisset, quæ interim penes Chaldeos fuerat, & ab eorum primo in ejus redditum servata erat, factus est totius paterni imperii Dominus.

VI. Valde amplum sanè atq; illustre fuit regnum istud quod Nabuchodonosorus tenuit. Idem verò certo quodam nomine appellari potest, quo à ceteris discernatur. Dicatur igitur *Babylonicum* sive *Chaldaicum*, à præcipuâ sui parte, & cui aliæ partes accesserunt. Considerandum est imperium illud quod Nabuchodonosorus habuit, ut ex certis quibusdam partibus compositum, ex multis imperiis scilicet in varias orbis partes ac regiones. Earum autem partium una prius existit, quam altera. Et uni earum deinde cæte-

xx ac-

ræ accesserunt. Prima qvidem earum partium fuit *imperium in Chaldaam sive Babyloniam*. Cum principio hanc partem haberet Nabuchodonosori pater, Nabopollassarus, accepit hic deinde imperium in varias quoq; alias terras ac gentes. De eo autem non immerito dubites, an ipse Nabopollassarus, Nabochodonosori pater, tam amplam potentiam initio habuerit, qvalem Berosus ei tribuere videtur. Placet nim. qvod summo Viro, nostroq; amico Herm. Conringio visum est, ab eoq; in elegantissimo de antiquis Asiae & Ægypti Dynastiis opusculo his verbis expositū: *Conferentibus sacram historiam est manifestum, illum contra quem duxit exercitum Nabuchodonosor, quemq; omni Syriae ac Phœnicia editio exxit, imo Ægypti parte aliquā mulieravit, esse Nechum Ægypti Regem. Hic verò non contra Babylonios, sed adversus Assyrios insurrexit, ut disertè legitur I. Reg. XXIV. 29. Nec in sacrâ historiâ ullum exstat vestigium potentie Babyloniorum, per Syriam aut in Ægyptum usq; se porrigitis, ante Nabuchodonosorem, utpote quæ indubie involvisset res Judaicas.*

VII. Cæterum amplum istud Chaldaicum sive Babylonicum imperium à Nabuchodonosoro hæreditario jure devolutum fuit ad ejus filium Evilmerodachum. Hic verò paucis modò annis idem imperium obtinuit. Ipso enim è medio sublato, affinis ipsius, & Nabuchodonosori gener, Neriglissares, suo ipsius filio, Nabuchodonosori verò ex filiâ nepoti, Laboroarchodo idem imperium vindicavit. Sic verò non aliud existere cœpit imperium, sed idem illud qvod Nabuchodonosorus habuerat, qvod *Babylonicum & Chaldaicum* appellavimus, adhuc existere perrexit. Non enim imperium translatum fuit ad peregrinum qvendam & alterius gentis Regem: id qvod requiri suprà diximus, ut imperium intelligatur factum esse aliud atque à priori diversum. Tantum imperium ad se pertraxit, vel ut Scaliger visum, suo filio vindicavit qvidam, qui Evilmerodacho & ipse paruerat, eusq; sororem in matrimonio habebat. Sed de his quoq; ipsa prædicti antiquissimi scriptoris Berosi verba hīc legi præstat. Sunt ea in lib. I. Josephi cont. Ap. & ita habent: Της ἡ βασιλεῖας κύριος ἐγένετο οὐδὲ αὐτὸς Ευαλμαράδαχ. αὐτὸς δέ φασι τὴν περιγραφὴν ἀνόμως νῦν ἀσελγῶς, Μπίβελευθεὶς ὁπός τὸ μῆδος Φίρ εἶχεν. αὐτὸς Νικηφόρος ἀγηρέθη, βασιλεὺς τας

ēm dūo. Hujus regni (Nabuchodonosori) Dominus effectus filius ejus  
Evilmaraduchus propter iniquitates & libidines passus insidias à marito  
sororis suæ Neriglissorooro peremptus est, cum duobus regnasset annis.

VIII. Adscribam mox & seqventia verba, qvibus de Neriglissorooro, Laborosarchodo, & qvi inter Babyloniam Reges, atque adeò Monarchiarum qvas Daniel designavit omnium primæ postremus Rex fuit, Nabonnedo prodidit. Latinè versa ea sic habent : Opum Evilmaraduchus è medio sublatuſ esſet, ſumens regnum qvi ei insidias fecit Neriglissoroorus, annis regnavit quatuor. Hujus filius Laboroſoarchodus principatum qvidem tenuit, cum adhuc puer eſſet, mensibus novem. Insidias verò paſſus, eò qvōd nimis appareret malorum morum eſſe, ἦν τὸ Φίλων ἐποπτεύθη, ab amicis (& purpuratis suis) interemptus eſt. Hoc igitur peremptio convenientes hi qvi fecerant insidias, communī ſuffragio regnum tradiderunt Nabonnedo cuidam, Babylonio, qvi & ipſe ex conjuſatis fuerat. Cujus regni anno decimo ſeptimo egressus Cyrus ex Perſide cum magno exercitu, universā Asiam subactā, impetum fecit in Babyloniam urbem. Sentiens autem Nabonnedus invasionem ejus, & occurrens cum exercitu ſuo, atq; congressus, vietus & cum paucis fugiens inclusus eſt in Borsippensum civitatem. Cyrus autem cū Babyloniam occupasset, iuſſiſetq; exterioreſ ejus muros dirui, qvōd videret civitatem ad reſ novas mobilem, urbem verò expugnatū diſſicilem, Borsippum rurſus contendit, Nobonnedum expugnaturus. Nabonnedo autem expugnationem non expectante, ſeſeq; dedente, Cyrus clementiā uſus, ipſi Babyloniam exirejufſo Carmaniam habitandam conceſſit. Eadem illa qvæ ex Berosi fragmento diſcimus, prodiſta etiam ſunt, ſed breviūſ paulo, in alio qvodam fragmento, qvōd qvidem Megasthenis, antiqui iridem ſcriptoris eſt, & in Eusebii Chronico librisq; de Præparatione Evangelicā aſſervatum. Adscribam & illud, qvoniam breve eſt : Ο δέ οἱ πάις Ευλυγλαρχῆς ἐβασίλευε. Τὸν δὲ ὁ κηδεῖς δοτοκτένες Νηρυγισσούρης, λαπτε παιδα λαβασοσάργουκον. Τέτε δοτοδανόν τοι θιάν μόρω Ναβονίδοχον δοτα δεινοῦσι βασιλέα, τεσοίκοντα οἱ ἔδεν. Τῷ Κύρῳ ελῶν Βασιλῶνα, Καρμανίους ιηρευοῖς διορέεται.

IX. Praeclarā res eſt, qvōd nobilia iſta veterum ſcriptorum fragmenta hodieq; habemus. Absq; illis enim forēt, de rebus iſtorum

rum temporum non tam līquidō constare nobis posset, qvām istorum  
fragmentorum beneficio constare nunc potest. Cæterum desit sive  
extincta est Monarchia Babylonica tum cum Cyrus Persarum Rex  
vicit Nabonnedum, ultimum Babylonie Regem. Si idem Cyrus  
ex Nabonnedi subditis fuisset, contraq; eum sic insurrexisset, atq; et-  
iam viciisset eum, nondum eo veterum regnum Babylonicum extin-  
ctum fuisset. Mansisset enim adhuc separatum, nec veterem ap-  
pellationem deperdidisset. Qvoniā autem Cyrus jam anteā Rex  
fuerat alterius gentis, atq; adeò imperium jam tractaverat, factum  
fuit ut regnum Babylonicum tum exstingveretur, cum ipse Nabon-  
nedum vinceret. Sed dices: qvi extinctum dici potest regnum Baby-  
lonicū, cum id Nabonnedo adimeretur, idemq; à Cyro occuparetur?  
Annon idē illud imperium imperante Cyro, adhuc exsistit, qvōd Na-  
bonnedus habuerat? Sciendum est, imperium qvoddam tum dici de-  
sinere atq; exstingvi, cum veterem suam appellationem amittit, &  
alius cūjusdam regni nomine incipit simul comprehendēti. Sic igit-  
tur & Babylonicum regnum desisse & extinctum esse dicitur, cum  
idem additum fuit alii regno, Persico puta, atq; ita anillo veteri no-  
mine, simul comprehendi cœpit nomine istius regni, cui ipsum fuit  
additum. Cyrus cum Babylonicum regnum occupasset, suoq; veteri  
id addidisset, appellatus adhuc fuit, sic ut anteā, Persarum Rex.  
Qviq; Persarem Regem nominabat, is non solius Persiae Dominum,  
sed ipsius qvoq; Babylonie, multarumq; aliarum provinciarum Re-  
gem intelligebat. In sacris literis פֶּרַס appellatur Cyrus, etiam  
tum, cum Babylonicum regnum jam occupasset. Sic & apud Græcos  
μέγας Περσῶν βασιλεὺς audiebat, qvi non tantum Persiae, sed multarum  
aliarum provinciarum Dominus erat. Est tamen in sacris, ubi  
is qvi פֶּרַס Rex Persarum, etiam post Babylonie Regem jam vi-  
ctori appellatur, alio nomine מֶלֶךְ בָּבֶל Rex Babylonie dicitur. Est  
item, ubi מֶלֶךְ אֲשֹׁר Rex Assyriorum appellatur idem Persarum Rex.  
Prīus vide Nehem. XIII. 6: alterum Esra c. VI. v. 22. Reges qui iustis  
nominibus appellati olim fuerant, tenuerant amplissimas provincias.  
Qvas ipsas cum postea tenerent Persarum Reges, factum fuit, ut illi  
qvoq; veteribus nominibus qvandoq; sint appellati. Neq; sensim &  
parti-

particulatum extinctum fuit Babyloniae regnum, sed simul ac semel. Qvæcunq; tenuerat Nabuchodonosorus, ea adhuc tenuit Nabonnedus, postremus Babylonie Rex, cum is bello appeteretur à Cyro Persarum Rege: aut si decesserat qvippiam, id sanè leve fuit. Cyrus autem, simul ac semel occupavit omnia, veteriq; suo non ita magno regno addidit aliud amplissimum.

X. Extincto igitur per sui ad aliud accessionem Babylonico regno, existere cœpit novum amplissimum regnum, Persicum nimirum. Qyod qvin secundum fuerit eorum, qvæ à S. Daniele præsignificata sunt, non unquam dubitatum fuit. Designatum autem fuit regnum istud per statuæ istius qvam Nabuchodonosorus per somnum vidit, pectus brachiaq; argentea. Itemq; in ipsis S. Danielis visione per ursum. Et in altera ejusdem visione per arietem. De primo symbolo est in cap. II. de altero in cap. VII. de tertio in octavo capite. Qvænam eorum nomina fuerint qvi secundum istud regnum tenuerunt, id monumenta veterum historicorum nos ignorare non sinunt. Ipse Cyrus regnum istud tenuit novem annis: qvi etiam in ærà Nabonassarcà sive Canone Mathematico ipsis tribuuntur. Antea verò in Perside regnaverat annis viginti & uno. Ut ita in universum regnaverit XXX. annis. Cyrum exceptit Cambyses, ejus filius: qvi & imperium Ægypti adjecit ei qvod à patre ad ipsum devolutum erat, regno. Extincto Cambysè, astu qvodam solium concendit Magus Smerdis, Cambysis fratrem simulando, ut ex Herodoto scimus. Sed septem modò mensibus imperium tenuit. Nihilominus in sacris literis inter Reges Persiae idem ille Smerdis commemoratus est. Nimirum in cap. IV. Esræ sub nomine Artasastha, uti alibi demonstravimus. Itemq; in cap. XI. Danielis v. 2. ubi inter tres Reges, qvi inter Cyrum & quartum illum qvi ibidem memoratur, intercesserunt, ipse Smerdis ordine secundus est. Interfecto Smerde Darius Hystaspis Rex appellatus fuit. Eiique deinde longâ serie successerunt qvi ab ipso orti fuerunt, filius, nepos, propnepos, cæteriq;.

XI. Desit regnum sive Monarchia Persica tum cum Codomannum, alio nomine Darium dictum, vicit Alexander. Et qvoniā regnum Persicum eorum qvæ à Daniele præsignificata sunt, ordi-

ordine secundum est, desit qvog; eodem illo tempore secundum re-  
gnum sive secunda Monarchia. Scilicet tum demum regnum sive  
imperiu aliquid desinere atq; exstingvi dicitur, cum illud per vim oc-  
cupat Rex alteri gentis, suoq; veteri regno illud addit. Codomannus  
imperium tenuit in Persas, variasq; alias gentes. Vocabatur id uno  
nomine Persicum: qvoniam aliæ imperii partes, quamvis maiores il-  
læ, accesserant olim isti imperii parri qvæ in Persiam erat. Sed Persi-  
cum istud imperium Dario ademit Alexander, qui jam ante impe-  
rium tenuerat in Macedoniam. Tum igitur imperium istud Persi-  
cum qvod Darius habuerat, additum fuit isti imperio qvod jam antea  
habuerat Alexander. Ita factum fuit, ut imperium Alexandri amplissimum  
eyaserit, constiteritq; ex duabus partibus: qvarum tamen  
partium ea qvæ major erat, accesserat minori. Et qvoniam impe-  
rium Persicum non separatum mansit, sed alteri imperio accessit, &  
quidem per vim, factum fuit, ut veterem appellationem ipsum am-  
miserit, & nomine alterius regni simul comprehendendi coepit. Qvod  
nam autem regnum istud, cuius nomine comprehendendi coepit? *Mace-  
donicum* utiq; qvod tum temporis Alexander tenebat. Ergo Macedo-  
nicum est illud, qvod postilla per magnam istam accessionem amplis-  
simum, maximeq; illustre fuit. Idem qvog; eorum regnorum qvæ à  
S. Daniele præsignificata sunt, ordine tertium est. Hujus autem  
symbola fuerunt, in visione Nabuchodonosori quidem venter lumbig-  
natua ænei: in primâ autem visione Danielis *Pardus*: in ejusdem de-  
niq; alterâ *Caper* sive *Hircus*. Vide cap. II. VII. & VIII. Danielis.

XII. Tertium autem illud amplissimum regnum qvamdiu  
durasse qvove tempore desiisse putabimus? Ipse quidem Alexander  
paucis modò annis, sex circiter, id obtinuit. An igitur tum desiisse  
putabimus idem illud amplissimum regnum, qvod Macedonicum vo-  
catum est? Ita sanè visum fuit doctissimo Viro, Fr. Junio: itemq; A-  
mando Polano, Hug. Brougham, Rob. Rolloco, Christoph. Pe-  
zelio, Joh. Piscatori, Joh. Chamero. Videsis ipsorum notas, com-  
mentaria, aliasq; generis libros. Quidvero causa est, qvamobrem  
putandum sit tertium regnum extinctum tum fuisse, cum Alexander  
decessit? Nihil sanè magnopere causæ appetet. Nos verò ut nostra  
demonstremus, advocabimus pronunciatum illud qvod jam supra

initio proposuimus. Illud ita habet: tum extinctum dici regnum aliquod, si illud per vim occupet Rex alterius gentis, sive quod idem est, si illud accedit alii cuidam regno. Ut autem de tertia Monarchia judicare queamus, an ea cum extincto Alexandro simul extincta fuerit, recolenda est historia istorum temporum. Debebat utique Monarchia sive regnum istud amplissimum heredibus Alexandri Magni, cum ipse Alexander extinctus jam esset. Nec alio nomine provincias administrandas acceperunt praefecti Alexandri quam ut heredibus Alexandri esse servarentur. Nec illico Reges se appellare audiebant praefecti isti: sed eo titulo abstinuerunt, quoad superstes fuit Eumenes, ut Corn. Nepos autor est. Reapse tamen eripuerunt illi heredibus Alexandri imperium quod his ipsis debebatur: neque sane id reddere in animo habuerunt.. Cassander vero Antipatri filius non satis habuit imperium per vim obtinere, sed & Alexandri matrem, uxorem, duosque filios è medio sustulit, quod scilicet tutius imperium retineret. Tum vero cum Alexandri Duces ista talia perpetrarent, non magis desit regnum sive Monarchia Macedonica, quam regnum Babylonicum desit, cum interfecto Evilmerodacho Rex Babylonie factus fuit Neriglissares, & interfecto Laborofoarchodo Nabonnedus: non magis item, quamcum interfecto Alexandro Severo Maximinus Thrax Imperator factus est, imperium sive regnum Romanum desit. Ptolemaeus Lagi, Cassander Antipatri, & Seleucus Nicenor Antiochi filius, non fuerant antea aliarum gentium Reges: non habuerant illi jam antea imperium in alias terras, cum patrimonium heredum Alexandri occuparent. Nec accessit imperium istud quod ipsi habebant, alii cuidam, quomodo cum ipse Alexander Macedoniæ modò Rex esset, ejus in Macedoniam imperio accessit regnum Persicum. Qvoniam autem imperium Macedonicum, cum illud in partes quasi discerperent, sibi quis eas partes vindicarent Duces Alexandri; qvoniam, inquam, illud tum non accessit alii cuidam regno, ipsum pro extinto haberri non potuit. Quid si unus Cassander, aut unus Ptolemaeus Lagi totum imperium heredibus Alexandri eripuisset, sibi quis vindicasset? An tum quoque dicerent, regnum Macedonicum extinctum fuisse? Sanè si id dicant, dicendum simul habent, Monarchiam Babyloniam fuisse extinctam, cum Evilmerodachum inter-

inferimeret Neriglissares: & imperium Romanum extinctum fuisse, cum imperfecto Aelio Pertinace imperium occupavit Didius Julianus, Ictus Romanus.

XIII. Sed scrupulum alicui injicere adhuc possit, quod imperium istud quod Alexandri fuerat, in varias partes disceptum legitimus. Non totum occupavit Cassander, quemadmodum totum Babylonum Neriglissares, & totum Romanum Didius Julianus: sed partem Cassander, aliam partem Ptolemæus, aliam rursus Seleucus Nicator occupavit. Et fuerunt sane post illa Ptolemæi, Seleuci, & Cassandri regna inter se satis separata, ut alter alteri minimè subesset, sed singuli se à uero fratribus gererent. Post eorum excessum quoque separata manserunt eadem regna. Quam igitur partem ejus imperii quod Alexander habuerat, putabimus idem illud imperium esse quod tenuerat Alexander? An solum Cassandri regnum: an vero solum Ptolemæi dicemus idem illud fuisse quod Alexander habuerat? Successerunt omnes illi uno eodemque jure, hoc est, nullo. Nec ullus eorum Rex antea fuerat. Qvare nec istæ imperii Alexandri partes quas occupabant, aliis regnis accedebant, aut ab aliis regnis non absorbebantur. In sacris visionibus observamus, varias istas partes in quas regnum Alexandri disceptum fuit, etiam tum cum separatæ illæ fuerunt, pro uno imperio numerari: quod qvidem imperium idem fuerit cum eo quod tenuerat Alexander. Nec ante secundum sacras literas Imperium Macedonicum extinctum fuisse credendum est, quam omnes istæ partes in quas disceptum illud fuerat ab Alexandri Ducibus, aliis imperio accessissent. Sic nec Romanum imperium antea putari potest extinctum esse, quam omnes ejus partes, & primigenia, & deinde quoque illæ partes, quæ primigeniae accesserunt, per vim occupatae fuerint ab alterius gentis Regibus.

XIV. Ex ipso vulgari loquendi modus intelligere poterant Junius, Polanus, Chamier alijque, ista imperia quæ successores Alexandri M. tenuerunt, non fuisse diversa ab illo quod ipse Alexander tenuerat. Sed ut magis adhuc eos redargvamus, ipsas sacras literas expendamus. Tertium eorum regnorum, quæ Daniel præsignificavit, sine dubio illud fuit, quod tenuit Alexander. Designatum illud est in primâ visione Danielis per Pardum. Iste vero Pardus Danieli

nieli apparuit quatuor instructus alii: itemq; quatuor capitibus. Vide cap. VII. Dan. v. 6. In alterâ visione Danielis designatum fuit idem regnum per Caprum. In hoc capro autem primò apparuit unum magnum cornu: hoc deinde confracto, in eodem illo capro enata fuerunt quatuor cornua. Consideremus verba ista qvibus secundam istam visionem, qvæ Danieli evenit, exposuit S. Angelus. In versu XXII. cap. VIII. hæc legimus: *Aries ille duobus instructus cornibus, quem vidisti, מֶלֶךְ פָּרָיו וּפָרָס Reges Medorum & Persarum.* Deinde sequitur: *Caper autem sive hircus כָּרֵב Rex Gracie.* Et cornu magnum, qvod inter oculos ejus, est Rex primus. Et confracto (cornu isto magno) ejus loco exsisterunt quatuor: quatuor regna ex gente istâ exorientur, non eâdem potentia, qvâ fuerat prius illud. Dicit S. Angelus, *caprum esse regem Gracie.* Ubi sanè non unum qvendam regem, sed multos intelligere oporter: qvemadmodum & aries, de quo præcesserat, non unum regem, sed omnes Persarum Reges designat. Apparet id liquido ex eo, qvod mox additur, magnum cornu, quo caper initio instructus apparuit, designare primum Regem: qui sine dubio Alexander M. est. Non autem potuit Alexander M. primus Rex dici, nisi alii fuissent secuti. Inter qvos verò ipsum primum fuisse putabimus? Utiq; inter כָּרֵב reges Gracie. Ergo plures omnino Reges Graciæ fuerunt. Et plures utique obtinuerunt regnum istud qvod Græcum sive Macedonicum appellatur: non verò solus id tenuit Alexander. Verum cum magnum cornu confractum esset, hoc est, cum Alexander M. decessisset, non singuli Reges tenuerunt id imperium qvod unus Alexander tenuerat: sed tenuerunt id uno eodemq; tempore plures homines. Non sic qvidem ut conjunctis operis imperarent, qvidq; per omnes provincias agendæ essent, de his omnes una præscriberent: sed ut unus in hac, aliis in aliâ provinciâ dominaretur. Hoc illud est, qvod per quatuor cornua designatum fuit, qvæ in capro sive hirco enata fuerunt. Angelus apud Danielem sic differuit: *Qvod, confracto magno cornu, quatuor enata fuerunt, id significat, quatuor regna de gente istâ (Graciæ sive Macedonica) exortum esse.*

X V. Qvænam autem fuerint quatuor ista regna sive imperia,

riæ, in quæ distributum fuit unicum illud, qvod tenuerat Alexander, de eo non difficulter conjicitur ex veteri historiâ, quam scriptores profani condidetunt. Unam partem imperii ejus qvod Alexander tenuerat, occupavit Ptolemæus Lagi filius, qui ex Alexandri M. Duci- bus fuerat: nimis in Ægyptum. Ista igitur pars eorum quatuor regnorum, quæ designata sunt, unum esto. Aliam partem imperii ejus qvod Alexander habuerat, occupavit Cassander, interfecit Alex- andri matre, sorore, duobusq; filiis: imperium in Macedoniam puta. Ea igitur pars sit alterum regnum. Aliam porrò partem Antigo- nus tenuit; imperium Asia scilicet. Atq; ea pars sit tertium regnum. Aliam deniq; partem, & amplissimam quidem, tenuit Seleucus Nica- nor: imperium in Syriam puta, variasq; alias Orientis provincias. Atque hæc pars esto quartum regnum. Hæc verò quatuor regna, quamvis separata fuerint, & sic quoq; separata ad posteros transmissa fuerint ab his qui primo ea occupaverant: numerantur tamen ut u- num quoddam regnum, qvod quatuor magnorum tertium fuerit. Designantur scilicet per unas easdemq; statuæ partes, per ventrem scilicet lumbosq; aneos: item per unum Pardum: deniq; per unum ca- prum sive hircum. Cur vero ita sit factum, id non difficulter intel- ligi potest: nim. qvod quatuor Alexandri Duces iisdem temporibus, uno item eodemque modo ad se pertraxerunt magni istius imperii qvod Alexander habuerat, varia partes. Nullus eorum Ducum, qui Alexandri regnum discerperunt, Rex antea fuerat. Quare nec par- tes istæ quas ipsi occupabant, additæ fuerunt aliis regnis. Porro quia non addita fuerunt aliis regnis, suam quoq; appellationem eadem illa haud deperdiderunt. Quænam autem appellatio ista? Regni Ma- cedonici sive Græci utiq;. Cum Alexander Persicum occupasset, ipsum Persicum Macedonici appellatione simul comprehensum fuit. Accedit qvad prædicti Alexandri Duces meri Macedones fuerunt, & Macedonum instituta ac lingvam per eas quas occuparunt terras, longè lateq; disseminarunt. De Ptolemæis Ægypti Regibus, qui A- lexandro successerunt, Paulanias in lib. X. prodidit, eos Macedonum appellationem ambitiose affectasse. Quamvis igitur Ægypti & O- rientis Domini essent isti Alexandri successores, ipsorum regna ta- men, Græca & Macedonica fuerunt appellata. In libris Maccabœ-

rum freqvens est appellatio Βασιλεῖας Ελλήνων, ubi regnum Asiae designatur. Vide I. Macc. I v. ii. Sæpe etiam in iisdem libris fit mentio Ἑλληνικῆς χαρακτῆρος, ἑλληνικῆς δόξης, ἑλληνισμοῦ, & similiū, ubi Macedonum instituta & ritus significantur.

XVI. Qvoniā igitur qvatuor ista regna, in qvæ unum Alexandri discerptum fuit, ob certas causas in sacris literis numerata sunt pro uno regno, qvod superiorum qvatuor sit tertium: facile nunc amplius intelligitur, tertium istud ex qvatuor regnis qvæ compactum regnum non antè extinctum penitus fuisse, qvam singulæ ejus partes extinctæ fuerunt. Hic scilicet res paulò aliter se habuit, qvam circa Babylonicum & Persicum regna. Babylonicum non sensim & particulatim extinctum fuit, sed simul & semel; cum nim. Nabonendum vinceret Cyrus. Ita & Persicum simul & semel extinctum fuit, cum Darium regno exueret Alexander. Græcum vero sive Macedonicum ex qvatuor partibus qvæ compactum regnum sensim ac particulatim extinctum fuit. Primò ea pars, qvam Antigonus & post hunc ejus filius Demetrius Poliorcetes tenuit, hoc est, imperium Asiae, accessit illi parti, qvam tenuit Seleucus Nicanor; cum nim. hic Seleucus Demetrium prælio vicisset, eumq; in custodiâ detineret. Seleucum Nicænorem cum in imperio jam secuti fuissent filius & nepos, jamq; ejusdem pronepos Seleucus Callinicus imperaret, defece- runt Parthi & Bactriani. Et Parthorum quidem imperium mox deinde invasit Arsaces: oppresso Andragorâ, Parthorum præfecto. Idem Arsaces occupavit & Hircanorum regnum. Porro cum Seleuco Callinico successisset Antiochus Magnus, magnâ is imperii parte mul- status fuit. A Romanis nim. in ordinem fuit redactus, hoc est, Europâ abstinere, & Asiam omni qvæ cis Taurum est, excedere jussus. Aliqvâto tempore post, ipsa qvoq; Macedonia cessit Romanis, victo & in triumphum ducto Perseo, ultimo Macedoniæ Rege. Asia a. regnum paulò ulterius transmissum fuit ad Seleucidas. Cum deinde Seleucidæ plurimū inter se contenderent, bellaq; intestina gererent, vocatus à Syris Tigranes Rex Armenie, octodecim annis imperium tenuit. Ipse verò Tigranes à Romanis regno tandem exutus est. Atq; sic ipsa Syria qvoq; cessit Romanis, & in provinciæ formam redacta est. Supererat tū magni ejus imperii qvod Alexander tenuerat, pars ista qvæ in Egy-

in Aegyptum erat. Hæc quidem à Ptolemaeo Lagi transmissa fuit ad ipsius posteros, qui longa serie per CCC. circiter annos regnarunt. Cum verò & hæc pars à Romanis occupata esset, extinctum sic protus fuit magnum istud Macedonicum imperium quod Alexander tenuerat. Sed quo tempore id dicemus factum? Cum Julius Cæsar, Pompejum persequens, in Aegyptum venit, imperium tractavit Ptolemaeus Dionysius, qui Pompejum interficiendum curavit, & ipse deinde Cæsari quoque struxit insidias. Sed Cæsar elapsus è manibus fuit. Cumq; mox ipse Ptolemaum cœpisset bello appetere, corpus Regis obrutum repertum est in limo. Tum verò non continebat & regnum Aegypti à Cæsare occupatum fuit. Nam cum Ptolemaeus adhuc in vivis esset, & ipse Cæsar in Aegyptum venisset, Cleopatra, Regis soror, petierat à Cæsare, ut sibi partem regni reddendam curaret. Cæsar igitur mox illam restitujiussit in regnum: atque ita Cleopatra regnavit per XVIII. adhuc annos. Cum verò se Cleopatrae adjunxit Antonius, eidemq; imperii Romani potiundi spem fecisset, occurrit Octavius Cæsar, qui anteā unā cum Antonio & M. Lepido triumvatum gesserat, & Antonium ac Cleopatram vicit. Quo facto Cleopatra quidem ad pedes Cæsar's provoluta, non de vita, sed de parte regni adhuc laboravit. Cæsar autem abnuit, & Reginam triumpho servavit. Qvod cum ipsa jam perfentilceret, admotis sibi serpentibus, mortem sibi ipsa consivit. Atq; ita tandem & illa imperii Alexandri pars, quam posteri Ptolemaei tenuerant, per vim occupata fuit: eoq; facto totam imperium Macedonicum desit atq; extinctum fuit. Factum fuit annis non multis ante natum Christum, triginta circiter.

XVII. Pleraque omnia imperii Macedonici, ut apparuit, addita fuerunt imperio Romano. Hoc verò longo tempore non ab hominibus singulis obtentum fuit, sed à toto senatu populoque Romano. Et istis quidem temporibus res ita se habuit, cum imperii Macedonici pleraque partes Romano imperio sunt additæ. Unica pars imperii adhuc remanserat, ea nim. quæ in Aegyptum fuit, cum rerum summam non amplius Senatus populusque Romanus teneret, sed triumviratum instituissent Octavius, Antonius, & M. Lepidus, junctisque operis imperium tractare cogitarent. Horum verò primus exutus est

M. Le-

M. Lepidus. Deinde nec inter Octavium & Antonium diu convénit. Cum enim Antonius, totius imperii Romani potiundi spem fecisset Cleopatræ, Octavius Cleopatræ ac Antonio occurrit, iisdemq; victis unus & solus rerum summam tenuit, vereq; Monarcha fuit. Et hujus quidem imperium sive regnum fuit ipsum illud, qvod inter quatuor regna à S. Daniele præsignificata quartum est. In visione Nabuchodonosori designatum id fuit per statuæ crura ferrea, pedesq; partim ferreos, partim testaceos. In visione Danielis autem designatum fuit per bestiam quendam immanem ac terribilem, ferreis dentibus instructam, cuius forma quoq; prorsus alia fuit quam ceterorum trium animalium. Vide de eo cap. VII. Danielis v.7. Sed Fr. Junius, plurimiq; alii docti Viri putarunt, per quartam partem statuæ, itemque per quartum istud animal designatum esse istud imperium, qvod successores Alexandri M. tenuerunt, idemq; imperium esse ipsum illud quartum qvod S. Daniel præsignificare voluit: imperium Romanum autem ex numero quatuor regnum, quæ à Daniele designata sunt, prorsus excluderunt. Contra illos igitur demonstravimus suprà, quam ex re intelligi possit, qvod imperium istud qvod Alexandri M. successores tenuerunt, per tertiam partem statuæ, perque tertium animal sit designatum, qvodq; adeò ipsum quoq; sit idem illud tertium imperium, qvod tenuerat Alexander. Nunc verò ostendere etiam licet, istud successorum Alexandri imperium non esse quartum. Si verò hoc sat apparere possit, non esse quartum, facile, credo, persyadecitur & illud qvod supra diximus, esse nimirum ordine tertium.

XVIII. De quarto regno prædictum est, fore illud valde durum ac validum: sicut ferrum, confractum & comminuturum omnia. Et hæc quidem sunt in cap. II. Danielis. In capite septimo autem v. 23. de eodem quarto regno legimus, devoraturum illud, comminuturum & conculturum esse omnes terras. Quartum quoq; animal, quoquod quartum regnum designatum fuit, præ ceteris terribile ac robustum fuisse dicitur. Quæ sane descriptio successoribus Alexandri, sive Ptolemaeo, sive Seleuco, sive aliis cùdam non competit. De regnis istis quæ Alexandri successores habuerunt, manifestè prædictum est, ea non tam valida futura, quam regnum Alexandri fuerat.

fuerat. Et quā poterat aliter? Vī unitam vulgo dicunt fortiorē  
esse. Ita igitur & Alexandri imperium sine dubio haud paulo plus  
valuit, quām istae ejus partes, in quas id discerpserunt Alexandri Du-  
ces. Deinde de quarto isto regno non semel, & singulari quidem  
*devōm* prædictum fuit, illud à prioribus regnis diversissimum fore.  
In cap. VII. Dan. v. 23. ita legimus: **תְּשַׁנְּנָה מִזְבֵּחַ מִלְּפֹתָחַ**  
diversum erit (istud quartum regnū) ab omnibus ceteris regnis. Itemq; in  
v. 7. ejusdem capituli de quarto animali legimus, fuisse illud **מִשְׁנְנָה בְּנֵי חֶזְוֹנִים**  
diversum ab omnibus ceteris animalibus. An ergo  
credibile est illud regnum quod successores Alexandri tenuerunt, hīc  
fuisse significatum? Non fuerat de ullo priorum animalium atq; item  
regnorum id additum, tantopere discrepaturum illud à ceteris; cum  
tamen imperium Alexandri non parum discrepaverit à Persico. De  
quarto autem regno diserte est additum, illud à prioribus omnibus di-  
versum futurum. An igitur cuivam verisimile fieri potest, quar-  
tum istud regnum esse regnum Seleuci Nicanoris? illud, inquam, quod  
ab ipsius Alexandri regno nihil qvicquam ferè discrepavit. Fuerat  
Seleucus ex Alexandri Ducibus. Exstincto autem Alexandro, fecit  
ipse, ut alii Alexandri Duces, hoc est, provincias quascunq; potuit, oc-  
cupavit, inq; suam rededit ditionem. Præterea & Macedo fuit na-  
tionē. Plurimas item urbes per Asiam condidit, quibus vel de paren-  
tum suorum, vel de suo ipsius nomine nomina dedit. Sedecim in-  
ter eas fuerunt Antiochia: sex Laodiceæ: novem Seleucia. Ita fa-  
ciū, ut & Græca Lingua atq; instituta per Orientem longè lateq; dis-  
seminarentur. Estq; sic non aliter factum, quām si ipse Alexander  
diutius superstes fuisset, perq; istas quas acquisiverat, provincias do-  
minatus fuisset. Sed & de eo cogitandum quod suprā diximus, tum  
demum regnum aliquod dici extinctum esse atq; defuisse, si id per  
vīm accesserit alii imperio. Ex eo nim. facile judicari potest, illud  
regnum quod Alexander tenuerat, non fuisse eā parte extinctum,  
quām Seleucus occupavit. Seleucus antea nullum regnum habue-  
rat. Qvare quod regni sibi acquisivit Seleucus, id alii regno accedere  
sive addi non potuit. Quod de Seleuci regno diximus, id & de Pro-  
lemai regno, itemq; de ceterorum Alexandri Ducum regnis dictum

C

volu-

volumus. Ut ita nec singula illa, nec item simul sumpta possint qvar-  
tum istud regnum esse qvod Daniel designavit

XIX. Sunt & alia, ex quibus intelligi potest, regna ista qvæ  
Alexandri successores tenuerunt, nec singula nec simul sumpta esse  
qvartum eorum regnum qvæ S. Daniel designavit. Quartum re-  
gnum juxta Danielis expositionem, qvam ipse Nabuchodonosoro, &  
juxta S. Angeli, qvam is Danieli dedit, duraturum est usq; ad finem  
mundi. In cap. II. Danielis, cum de qvarto regno paulò uberiùs dis-  
sertatum esset, seqvitur illico : *In diebus autem regnum istorum susci-  
tabit Deus cœli regnum, qvod in æternum non dissipabitur.* Comminuet  
autem & consumet universa regna ista. In cap. VII. qvoq; in eandem  
sententiam clarissimè differit S. Angelus. Cum de quartâ bestia,  
per qvam utiq; quartum regnum designatum est, deq; decem corni-  
bus quo id instructum fuerit, nec non & de parvo cornu, paulò ube-  
riùs dictum esset, mox deinde seqvitur : *Adspiciebam donec throni pa-  
siti sunt, & antiquus dicerum sedidit, & libri aperti sunt.* Vide & plura  
ibidem. Est ibi planissimè descriptio extremi judicii : nec de eo  
qvicqvam dubitandum. Et usq; ad extrellum illud judicium dura-  
turum dicitur quartum regnum. Ex qvo facile intelligitur, succes-  
sorum Alexandri regna, sive singula sive simul sumpta, non esse qvar-  
tum istud regnum, qvod S. Daniel designavit. Omnia ista successo-  
rum Alexandri regna ante bis mille ferè annos extincta sunt. Qvo-  
modo verò id sit factum, breviter expositum est suprà. Qvòd qvarta  
bestia decem cornibus instructa apparuit, qvodq; deinde aliud par-  
vum enatum sit, qvod ex decem cornibus decussarit tria, ea qvoq;ve  
successoribus Alexandri regnis non quadrant.

XX. Cum igitur quartum eorum regnum qvæ Daniel de-  
signavit, non possit cum regnis successorum Alexandri conferri : fa-  
cile appareat, quartum regnum non aliud esse qvam imperium sive re-  
gnum Romanum. Hoc illud est, cui probè quadrant omnia. Fuit  
id præ cæteris terrible & validum, pluraq; id comprehendit, qvam  
cæterorum ullum. Tenuit Augustus in ditione suâ pleraq; omnia,  
qvæ Persarum ac Macedonum Reges tenuerant : præterea verò am-  
plissimas Africæ provincias, qvas Persarum ac Macedonum Reges  
non attigerant : amplius Hispaniam, Galliam, Britanniam, Italiam.  
Nor.

Noricum & Vindeliciam: magnas item maris mediterranei insulas, Siciliam, Sardiniam, Corsicam. Trajanus deinde addidit Daciam, Armeniam, Mesopotamiam, Assyriam. Fuit etiam id regnum revera diversum à proximo priori tertio. Demonstravimus suprà, unde fiat, ut si imperium sive regnum quoddam per vim addatur alii regno, diversum tum fiat à seipso: nim. quia pristinam suam appellationem non retinet, & alterius regni appellatione simul comprehenditur. Qui imperium Romanum nominabat, is non tantum imperium in urbem Romam, sed & imperia in quamplurimas alias provincias intelligebat, & inter alia quidem ipsa quoque in Macedoniam, Aegyptum & Asiam imperia: quae quidem imperio Romano accesserant. Demonstrari etiam potest, quartum istud regnum adhuc durare, nec dum desisset. Unde porro augurari etiam licet, id ad finem mundi usq; persliturum. Cætera quoque, quae ad quartum regnum pertinent, in regno sive imperio Romano satis apparent.

XI. Cæterum tenuerunt imperium sive regnum istud variarum nationum homines: non tales modò, qui urbe Româ, aut ex Italiâ oriundi essent. Fuerunt inter illos Hispani, Thraces, Syri, Capadoces, Isauri: qui tamen omnes in ipsis provinciis nati fuerunt, quae inditione Imperatoris Romani erant. Nec illi tantum qui Romanis Imperatoribus prognati erant, aut à populo Imperatores appellabantur. Romani Imperatores fuerunt, sed & hi qui interemptis Imperatoribus, per vim imperium occuparunt. Non desit Romanum imperium, cum optimum principem Aëlum Pertinacem è medio tollendum curavit Didius Julianus: neq; item, cum Alex. Severum interficiendum curavit Maximinus Thrax. Diximus suprà tum demum regnum aliquod dici desinere & existere, cum illud per vim adjicitur aliis imperio. Si olim Parthorum Rex Imperatorem Romanum viceret, omnesq; ejus provincias occupasset, deletum sic fuisset Romanum imperium sive regnum; quemadmodum cum Alexander M. Macedoniæ Rex, Darii Persarum Regis provincias occuparet, extinctum fuit imperium Persicum. Et sane quæcunq; Romani imperii partes ab aliarum gentium Regibus per vim occupatae sunt, ex Romani imperii nomine censeri & comprehendendi desierunt. Cum in quinto seculo in Galliam immigrarent Franci eamq; provinciam

ciam Imperatoribus Romanis eriperent, desit Gallia ad imperium Rom. pertinere. Sic & de Hispania res se habuit, cum in eam Vandali & Visigothi irrumperent. Si eodem modo omnes quoque ceterae imperii Rom. partes per vim occupatae essent ab aliarum gentium Regibus & Ducibus: nihil hodie Romani imperii supereret, & una cum nomine suo imperium Romanum prorsus extinctum foret. Nunc vero rem aliter se habere scimus: nec permisurum Deum ut quod superest Romani imperii, per vim occupetur ab aliâ gente. Sed de variâ Romani imperii conditione quam ex historiis cognitam habemus, paulò amplius cogitemus.

XXII. Variæ diversis temporibus partitiones exsisterunt Romani imperii, cum, quia Imperatores essent, imperii consortes adsciscerent. Diocletianus aliquando adscivit Maximinum. Iste vero duo adsciverunt porrò Constantium Chlorum & Galerium Maximinum: idque fine tertii seculi. Adsciti deinde fuerunt & alii quidam. Tandem vero ad unum quendam rursus devoluta sunt omnia, nimirum ad Constantimum M. Hic sedem suam in novum quendam locum transtulit, Byzantium puta, quod & de suo nomine Constantinopolim, itemque *rex Pópuli novam Romam* dixit. Sic vero non desit esse Imperator Romanus. Tenuit enim amplius idem illud imperium quod tenuerat antea, quodque tenuerant ante ipsum alii. Cum deinde Constantinus M. amplissimum suum imperium in tres partes divideret, & tribus suis filiis eas addiceret: ea quoque partes quibus dominium ipsius Romæ non comprehendebatur, Romani imperii partes adhuc dicebantur. Constantius Constantinopoli sedem habebat, nec Dominus Romæ tum erat, cum frater ejus Constans adhuc supereret. Nihilominus ipse adhuc Imperator Romanus fuit, & imperii Romani partem tenuit. Sic & fine quarti seculi res se habuit, cum imperium Romanum inter Arcadium & Honorium divideretur. Quamvis non Arcadius, sed Honorius Romæ esset Dominus, ipse tamen Arcadius quoque Imperator Romanus erat: quia secundum partem tenebat ejus regni, quod uno nomine Romanum dictum fuerat. Ceteri quoque Imperatores sive Reges qui inde à temporibus Arcadii usque ad decimum quintum seculum Constantinopoli & *rex Pópuli in novâ Româ* sedem habuerunt, Romanorum Imperato-

peratorum nomen semper servarunt: etiam tunc cum Domini Ro-  
mæ ipsi non fuerunt. Cujus rei causa hæc est, qvòd imperium istud  
non ante decimum quintum seculum occupatum fuit ab aliarum gen-  
tium Regibus. Cum verò ipso decimo quinto seculo decurrente  
imperium sive régnum Constantinopolitanum, qvod postremus te-  
nuit Constantinus Palæologus, à Turcarum Rege Mahomete per vim  
occuparetur: desit tum atque extincta fuit ea imperii Romani pars  
qvam Imperatores Constantinopolitani tenuerant. Nemo sane  
eam imperii Romani partem qvam Turcarum Rex hodie tenet,  
imperium Romanum amplius vocat. Contrà verò qvi Turcicum  
sive Othomanicum imperium nominat, is simul comprehendit eam  
imperii Rom. partem qvam hodie Rex Turcarum tenet.

XIII. Sed de èa qvoq; imperii Romani parte, qvam Occi-  
dentali vocant, cogitemus, an extincta ea dici possit, qvemadmo-  
dum pars Orientalis exticta est sine dubio. Diximus tum extin-  
ctum dici imperium aliquod, cum illud occupat Rex alterius gentis,  
& qvidem per vim. Nunc verò addo, extinctum etiam dici, si mo-  
dò alia gens, licet Regem non habeat, illud occupet. Si regnum Ä-  
gypti qvod post Alexandrum Ptolemaei tenuerunt, una cum ceteris  
Macedonicis regnis à populo Romano per vim occupatum fuisset  
tum cum populus Romanus Regem non habuit, nihilominus tamen  
imperium Macedonicum prorsus extinctum fuisset. Cæterum de  
urbe Româ scimus, eam non semel per vim occupatam esse à bar-  
baris, à Gothis sc. & Vandalis. Initio quinti seculi temporibus Honorii  
Visigothi duce Alarico in Italiam infusi Romam utiq; occuparunt.  
In eodem qvoq; seculo Odoacer Herulorum Rex Romanum Impe-  
ratorem Augustulum regno exiit. Qvamvis autem hæc ita se habeant,  
non tam en imperium Rom. tunc extinctum fuit. Cum tempore Ho-  
norii Roma occupata fuit, non continuò & omne imperium qvod  
Honorius habebat, occupatum fuit. Deinde nec dominium Romæ  
diu retinuit Alaricus. Tertiâ enim die, qvam irruperat, metu Theodo-  
sii rursus egressus fuit, & ad vastandam Italiam se convertit. Cū vero  
paulò pòst deceisisset, Ataulphus propinqvus & successor ejus, cum  
Honorio pacem fecit, & Hispaniam petit. Tum igitur Honorius  
perrexit Imperator Romanus esse. Aliquanto tempore pòst, cum

audire

C 3

Valen-

Valentinianum interficiendum curaret Maximus, ea Romani imperii pars qvæ Occidentalis dicebatur, itidem extincta non fuit. Non enim addita fuit alii imperio. Annon verò cum Angustulum regno exueret Odoacer Herulorum Rex, extincta fuit imperii Rom. pars occidentalis? Sanè si Odoacer imperium retinuisse, extinctum id fuisse dicendum foret. Notum autem est, Theodoricum Ostrogothorum Regem bonâ gratiâ istius Imperatoris Romani, qui partem Orientalem tum tenebat, Zenonis puta, cum exercitu movisse in Italiam, & Odoacrum debellasse. Et tum quidem ipse Theodoricus imperii Romani partem Occidentalem tenuit: non tamen propterea extincta ea pars dici potest. Primò enim bonâ gratiâ & dono Imperatoris Romani imperium tenuit, ut ex Jornande constat. Deinde nec diu Italiam retinuerunt Ostrogothorum Reges. Fine quinti seculi acceperunt: medio autem seculo sexto amiserunt rursus, victo Tejâ ultimo eorum Rege à Narsete, quem Justinianus, Romanus tum Imperator, in Italiam miserat. Ita factum ut is Imperator Rom. qui partem Orientalem tenebat, tenuerit & Occidentalem, atq; ut pars Occidentalis rursus conjuncta fuerit cum Orientali.

XXIV. Cum Justiniano successisset Justinus, excitati à Narsete Longobardi in Italiam irruperunt, & magnam quidem imperii Rom. Occidentalis partem occuparunt: non totum tamen. Imperatores Romani enim postilla Exarchos suos in Italiam mittebant, & Domini adhuc manebant ipsius Romæ, Pentapoleos, Exarchatus Ravennaten-sis & urbis Venetiarum. Veruntamen & horum pleraq; ultimis Longobardorum Regibus cesserunt: ut scilicet nihil in ditione Romanorum Imperatorum maneret præter urbem Romam & Venetias, atq; ita imperii Romani pars Occidentalis valde exigua esset. Pipinus verò Francorum Rex Exarchatum Ravennensem cum Pentapoli Longobardis rursus eripuit, eamq; Romanis reddidit. Idq; factū seculo octavo jam decurrente. Cætera qvæ Longobardi occupaverant, cesserunt deinde Carolo Pipini filio, cum is Desiderium, ultimum Longobardo-ruin Regem vicit. Sed quid de imperio Rom. Occidentali, quod sanè perquam exiguum ad extremum fuit, est dicendum? An in ditione Imperatorum Rom. qui Constantinopoli sedem habebant, id mansit omni eo tempore quo Longobardi in Italiâ dominati sunt? De tem-  
poribus

poribus ante Leonem Isaurum nihil dubium est. Cum verò Leo iste controversiam Iconomachicam contentius agitaret, alienores ab ipso facti fuerunt qui in Italia ipsi paruerant, & vestigalia amplius pendere detrectarunt: de proprio item Imperatore creando cogitabant; ut de his ex Zonara, Paulo Warnefrido, & Anastasio constat. Ne tamen Imperatorem crearent, inhibuit Pontifex Romanus. Scire etiam licet, postilla quoque Romanos Constantinopolitanis Imperatoribus quadam tenus subiectos fuisse: idque ex Anastasio Bibliothecario eleganter demonstravit Vir Cl. Herm. Conringius in libro de Germanorum Imperio Romano, cap. VI. Si verò maximè imperium Constantinopolitanorum Cæsarum prorsus detrectassent Romani, non tamen imperium Rom. extinctum fuisse. Non enim per vim occupatum fuit ab aliâ gente.

XXV. Cæterum fine octavi seculi, translatum fuit imperium Rom. Occidentale ad Carolum M. Francorum Regem. Nimurum populus Romanus & inter hos primarius civis Romanus Pontifex Carolum M. voluerunt suum Regem atque Imperatorem esse. Anastasius Bibliothecarius: *Ab omnibus constitutus est Imperator Romanorum*. Si Carolus iste, Francorum Rex, per vim occupasset istud imperium, quemadmodum XXX. ante annis alias Italiæ partes Langobardis eripuerat, extinctum sic fuisse Imperium Romanum Occidentale, quemadmodum ducentis circiter abhinc annis extinctum est imperium Rom. Orientale, cum à Turcarum Rege regno exueretur Constantinus Palæologus. Quia verò bona gratia factus est Imperator, mansit postilla quoque Romani imperii ac Imperatoris appellatio, nec imperium Romanum tunc extinctum fuit. Imò verò appellatio Romani Imperatoris cæteris Caroli titulis etiam prævaluuit, & priore loco poni solitus fuit. Cæterum quod dubium adhuc esse posset, an populo Romano Regem sibi sumere liceret, & annon debuisset populus iste in fide manere eorum Imperatorum Romanorum qui partem Orientalem tenebant, & Constantinopoli sedem habebant, transigendum etiam putavit Carolus primò cum Irene, quam & matrimonio sibi jungere cogitavit: deinde cum Nicephoro. A Carolo imperium Rom. hereditario jure devolutum fuit ad ejus posteros per centū ferè annos. Tempore Ottonis primi a. hoc est in seculo decimo translatu

illud

illud fuit ad illum ipsum Ottonem, Germaniae Regem: & sic cæteris  
qvoq; Germaniae Regibus jus datum idem illud Romanum imperium  
sive regnum habendi. Scil. qvemadmodum Caroli M. temporibus,  
ita & Ottonis ætate libertatem quendam sibi arrogavit populus Rom.  
& imperium à Francorū Rege ad Regem Germanorum transferendi  
potestatem sibi sumpsit. Qvoniam autem Germanorum qvoq; Rex  
bonâ gratiâ imperium Romanum accepit, neq; per vim illud occu-  
pavit: factum fuit ut ne tum qvidem Romani Imperii appellatio, atq;  
adeò nec ipsum imperium Rom. exstingveretur. Qvin imò qvòd Im-  
perii Romani magna semper dignitas atq; autoritas fuisset, apud Ger-  
manos qvoq; appellatio Romani Imperatoris prævaluit ipsi Germa-  
norum Regis titulo: ut qvi Imperium & Imperatorem Romanum di-  
ceret, is Regnum & Regem Germanorum simul comprehendenderet.  
Hodie qvoq;, quamvis nomine Imperii Romani admodum pauca pos-  
siderat Rex Germanorum, ea tamen Imperatoris Romani appellatio  
plurimum ipsi dignationis conciliat.

XXIV. Apparet ita, quid cause sit quamobrem imperium  
Rom. hodieq; durare dicendum sit: nim. qvia illud appellationem  
suam nondum amisit, nec per vim occupatum ac retentum fuit ab a-  
liarum gentium Regibus. Qvoniam autem Imperium Rom. quartum  
est istorum regnum qvæ S. Daniel designavit: ipsum qvoq; illud  
quartum regnum adhuc perstat, & S. Daniel ad nostra qvoq; tempora  
qvæ cīcī amplius annis ab ejus ætate absunt, respexit. Idē qvoq; Im-  
perium qvoniam quartum est, duratione suā ipsum finem mundi sine  
dubio attinget. Nā de quarto isto ex Daniele id liquido intelligi potest,  
ut jam supra est expositum. Ut verò usq; ad finem mundi Imperium  
Rom. durer, necesse erit non occupari illud per vim ab alterius gentis  
Regibus. Cæterum observare etiam licet, qvibus Imperium Rom.  
competit, eos id parum usurpare. Papæ Romani scil. Regibus Germa-  
norum sæpe glaucomata objecerunt, qvibus eos ab usurpatione arce-  
rent. Sed auguramur, hos qvibus competit, usurpationem istam  
tandem aliquando serio resumpturos, tumq; meretricem Babylonij-  
cam, ut in Apoc. XVIII. clarissimè prædictum est, neglectum

pulsum atq; irrigum iri.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn740003755/phys\\_0029](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740003755/phys_0029)

DFG




Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn740003755/phys\\_0030](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740003755/phys_0030)

**DFG**

poribus ante Leonem Iaurum nihil dubium est  
controversiam Iconomachicam contentius a  
ipso facti fuerunt qui in Italia ipsi paruerant,  
pendere detrectarunt: de proprio item Imperia  
runt; ut de his ex Zonara, Paulo Warnefrido.  
Ne tamen Imperatorem crearent, inhibuit Pon  
etiam licet, postilla quoque Romanos Constanti  
ribus quodantenus subiectos fuisse: idque ex Ana  
leganter demonstravit Vir Cl. Herm. Conring  
norum Imperio Romano, cap. VI. Si vero ma  
stantinopolitanorum Cesarum prorsus detre  
tamen imperium Rom. extinctum fuisset. No  
patum fuit ab aliâ gente.

X X V. Cæterum fine octavi seculi, tran  
Rom. Occidentale ad Carolum M. Francorum  
populus Romanus & inter hos primarius civi  
Carolus M. voluerunt suum Regem atque Imp  
stasius Bibliothecarius: *Ab omnibus constitutus*  
*rum.* Si Carolus iste, Francorum Rex, per vim o  
rium, quemadmodum XXX. antea annis alias Ita  
dis eripuerat, extinctum sic fuisset Imperium R  
ie, quemadmodum ducentis circiter abhinc anni  
perium Rom. Orientale, cum à Turcarum Re  
Constantinus Palæologus. Qvia vero bonâ gratia  
mansit postilla quoque Romani imperii ac Imper  
imperium Romanum tunc extinctum fuit.  
Romani Imperatoris cæteris Caroli titulis etiam  
loco ponî solitus fuit. Cæterum quod dubium  
populo Romano Regem sibi sumere liceret, &  
lus iste in fide manere eorum Imperatorum Ro  
Orientalem tenebant, & Constantinopoli sedem  
dum etiam putavit Carolus primo cum Irene, q  
sibi jungere cogitavit: deinde cum Nicephoro.  
Rom. hereditario jure devolutum fuit ad ejus pa  
annos. Tempore Ottonis primi a. hoc est in sec



Leo iste  
ores ab  
mplius  
cogita  
constat.  
Scire  
perato  
tario e  
Germa  
n Con  
ni, non  
a occu  
perium  
mirum  
ontifex  
Ana  
mano  
impe  
gobard  
denta  
est im  
eretur  
rator,  
o, nec  
ellatio  
priore  
tet, an  
et po  
artem  
sigen  
nonio  
erium  
ú ferè  
nslâtū  
illud